

# Le proposizioni indipendenti con il verbo all'indicativo

## *VERSIONE 1 Inizio della guerra civile tra Mario e Silla*

Anno urbis conditae sexcentesimo sexagesimo secundo primum Romae bellum civile commotum est, eodem anno etiam Mithridaticum. Causam bello civili C. Marius sexiens consul dedit. Nam cum Sulla consul gesturus bellum contra Mithridatem, qui Asiam et Achaïam occupaverat, mitteretur, isque exercitum in Campania paulisper tene-ret, ut belli socialis, de quo diximus (passato remoto o passato prossimo?), quod intra Italiam gestum fuerat, reliquiae tollerentur, Marius adfectavit, ut ipse ad bellum Mithridaticum mitteretur. Qua re Sulla commotus cum exercitu ad urbem venit. Illic contra Marium et Sulpicium dimicavit. Primus urbem Romam armatus ingressus est, Sulpicium interfecit, Marium fugavit, atque ita, ordinatis consulibus in futurum annum Cn. Octavio et L. Cornelio Cinna, ad Asiam profectus est, ut contra Mithridatem pugnaret. (da Eutropio)

## *VERSIONE 2 La terza guerra punica e la distruzione di Cartagine*

Tertium deinde bellum contra Carthaginienses suscipitur, secentesimo et altero ab Urbe condita anno, L. Manlio Censorino et M. Manilio consulibus, anno quinquagesimo primo postquam secundum bellum Punicum transactum erat. Hi profecti Carthaginem oppugnaverunt. Contra eos Hasdrubal, dux Carthaginiensium dimicabat et Famea, dux alius, equitatu Carthaginiensium praeerat. Scipio tunc, Scipionis Africani nepos, tribunus ibi militabat. Huius apud omnes ingens metus et reverentia erat. Nam et paratissimus ad dimicandum et consultissimus habebatur. Itaque per eum multa a consulibus prospere gesta sunt, neque quicquam magis vel Hasdrubal vel Famea vitabant, quam contra eam Romanorum partem, ubi Scipio dimicaret ("combatteva"), committere. Cum igitur clarum Scipionis nomen esset, iuvenis adhuc consul est factus et contra Carthaginem missus. Is eam cepit ac diruit. Spolia ibi inventa, quae variarum civitatum excidiis Carthago collegerat, et ornamenta urbium civitatibus Siciliae, Italiae, Africae reddidit, quae sua recognoscebant. Ita Carthago septingentesimo anno, quam condita erat, deleta est. Scipio nomen, quod avus eius acceperat, meruit, scilicet ut propter virtutem etiam ipse Africanus iunior vocaretur. (da Eutropio)

## *VERSIONE 3 Morte di Asdrubale*

Tertio anno postquam Scipio ad Hispanias profectus fuerat, rursus res inclitas gerit. Regem Hispaniarum magno proelio victum in amicitiam accepit et primus omnium a victo obsides non poposcit. Desperans Hannibal Hispanias contra Scipionem diutius posse retine-re, fratrem suum Hasdrubalem ad Italiam cum omnibus copiis evocavit. Is veniens eodem itinere ("percorso"), quo etiam Hannibal venerat, a consulibus Ap. Claudio Nerone et M. Livio Salinatore apud Senam, Piceni civitatem, in insidias compositas incidit. Strenue tamen pugnans occisus est; ingentes eius copiae captae aut interfectae sunt, magnum pondus auri atque argenti Romam relatum est. Post haec Hannibal diffide-re iam de belli coepit eventu. Romanis ingens animus accessit; itaque et ipsi evocaverunt ex Hispania P. Cornelium Scipionem. Is Romam cum ingenti gloria venit. (Eutropio)

*VERSIONE 4 Gli Elvezi decidono di emigrare*

Erant omnino itinera duo, quibus itineribus domo exire possent (traduci con l'indicativo): unum per Sequānos, angustum et difficile, inter montem Iuram et flumen Rhodanum, vix quā singuli carri ducerentur, mons autem altissimus impendebat, ut facile perpauca prohibere possent; alterum per provinciam nostram, multo facilius atque expeditius, propterea quod inter fines Helvetiorum et Allobrogum, qui nuper pacati erant, Rhodanus fluit isque nonnullis locis vado transiuntur. Extremum oppidum Allobrogum est, proximumque Helvetiorum finibus, Genāva. Ex eo oppido pons Helvetios pertinet. Helvetii existimabant vel Allobrogibus, qui nondum bono animo in populum Romanum videbantur, sese persuasuros esse, vel vi coacturos, ut per suos fines eos ire paterentur. Omnibus rebus ad profectionem comparatis, diem dicunt qua die ad ripam Rhodani omnes conveniant. (da Cesare)

*VERSIONE 5 Emilio Paolo visita la Grecia*

Aemilius Paulus per Thessaliam Delphos petiit, inclitum oraculum. Lebadiae ("Lebadia", città della Beozia) quoque templum Iovis adiit. Ibi, cum vidisset os cavernae, per quod oraculo utentes sciscitatum deos descendunt, sacrificio Iovi facto, Chalcidem, ad spectaculum Euripi Euboeaeque insulae, ponte continenti iunctae, descendit. A Chalcide Aulidem traiecit, trium milium spatio distantem, portum inclitum statione quondam Agamemnoniae classis ad Troiam proficiscentis, Dianaeque templum, ubi filiam deae sacrificavit Agamemnon, visitavit. Inde venit visitatum Athenas, plenas vetustā nobilitate et multa visenda habentes: arcem, portum, muros Piraeum urbi iungentes, navalia ingentia, simulacra deum hominumque, omni genere et materiae et arte insignia. Sacrificio Minervae, praesidii arcis, in urbe facto, Corinthum altero die pervenit. Arx quoque et Isthmus praebuerunt spectaculum mirabile visu: arx inter omnia in immanem solitudinem edita, scatens fontibus, Isthmus duo maria, ab occasu et ortu solis finitima, arctis faucibus dirimens. (da Livio)

*VERSIONE 6 Una lettera di Cicerone a Cassio*

Cicero Cassio sal.

Qui status rerum fuerit tum cum has litteras dedi, scire poteris ex C. Titio Strabone, viro bono et optime de re publica sentiente. Tu velim ("vorrei") ut sic existimes tibi que persuadeas omne per fugium bonorum in te et Bruto (Marco Bruto) esse positum, si quid adversi evenerit. Res, cum haec scribebam, erat in extremum adducta discrimen: Brutus (Decimo Bruto) enim Mutinae ("Modena") vix sustinebat. Qui si conservatus erit, vicimus, sin ("se no") – quod omen dii avertant! – omnis omnium cursus est ad vos. Proinde fac ut animum tantum habeas quanto opus est ad universam rem publicam recuperandam.

Vale (da Cicerone)

*VERSIONE 7 Cicerone scrive a Terenzia e ai figli Tullia e Cicerone*

Tullius Terentiae, Tulliae et Ciceroni suis s.

Accepi ab Aristocrito tres epistulas, quas ego lacrimis prope delevi. Conficior enim maerore, mea Terentia; nec meae me miseriae magis excruciant quam tuae vestraeque. Ego autem hoc miserior sum quam tu, quae es miserrima, quod ipsa calamitas communis est utriusque nostrum, sed culpa mea propria est. Meum fuit officium vel legatione vitare periculum, vel diligentia et copiis resistere, vel cadere fortiter. Hoc miserius, turpius, indignius nobis nihil fuit. Quare cum dolore conficiar, tum etiam pudore. Pudet enim me uxori meae optimae, suavissimis liberis virtutem et diligentiam non praestitisse. Nam mihi ante oculos dies noctesque versatur squalor vester et maeror et infirmitas valetudinis tuae; spes autem salutis

pertenuis ostenditur. Inimici sunt multi; invidi paene omnes. Eicere nos magnum fuit, excludere facile est. Sed tamen quamdiu vos eritis in spe, non deficiam ne omnia mea culpa cecidisse videantur. (Cicerone)

*VERSIONE 8 Plinio describe un' inondazione del Tevere*

C. Plinius Macrino suo s.d. Num istic ("costì", cioè a Brescia dove si trova Macrino) quoque immite et turbidum caelum est? Hic assiduae tempestates et crebra diluvia sunt. Tiberis alveum excessit et demissioribus ripis alte superfunditur, premit valles, innat campis. Inde quae solet flumina accipere et permixta devehere, retro cogit, atque ita alienis aquis operit agros, quos ipse non tangit. Anio ("Aniene"), delicatissimus amnium, magna ex parte nemora, quibus inumbratur, fregit et rapuit. Viderunt ii, quos excelsioribus tectis ("mentre si trovavano in luoghi elevati"): illa tempestas deprehendit, alibi divitum apparatus et gravem suppellectilem, alibi instrumenta ruris, ibi boves, aratra, hic armenta atque inter haec arborum truncos aut villarum trabes varie lateque fluitantia. Ac ne illa quidem malo vacaverunt, ad quae non ascendit amnis. Nam pro amne, imber absiduus fuit et deiecti nubibus turbines. (da Plinio)

## **Le proposizioni indipendenti con il verbo al congiuntivo, all'imperativo e all'infinito**

*VERSIONE 1 Quali concessioni si possono fare ai giovani*

Detur aliqui ludus aetati; sit adulescentia liberior; non omnia voluptatibus denegetur; non semper superet vera illa et directa ratio, vincat aliquando cupiditas voluptasque rationem, dum modo illa in hoc genere praescriptio moderatioque teneantur. Parcat iuventus pudicitiae suae, ne spoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne faenore trucidetur, ne incurrat in alterius domum atque familiam, ne probrum castis, labem integris, infamiam bonis inferat, ne quem vi terreat, ne intersit insidiis, scelere careat. Postremo, cum paruerit voluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum aetatis atque ad inanes hasce adulescentiae cupiditates, revocet se aliquando ad curam rei domesticae, rei forensis, reique publicae, ut ea, quae ratione antea non perspexerat satietate, abiecisse et experiendo contempsisse videatur. (Cicerone)

*VERSIONE 2 I veri beni*

Aristippus philosophus, naufragio cum, eiectus ad Rhodensium litus, animadvertisset geometrica schemata descripta, exclamavisse ad comites ita dicitur: "Bene speremus! Hominum enim vestigia video". Statimque in oppidum Rhodum contendit et gymnasium devenit; ibi de philosophia disputans muneribus est donatus, ut non tantum se ornaret, sed etiam eis, qui cum eo fuerant et vestitus et cetera, quae opus essent ad victum, praestaret. Cum autem eius comites in patriam reverti voluissent, interrogarentque eum quidnam vellet domum renuntiari ("riferire"), tunc ita mandavit dicere: "Eiusmodi possessiones et viatica liberis oportet parari, quae etiam e naufragio una possent enatare. Namque ea vera praesidia sunt vitae, quibus neque fortunae tempestas iniqua, neque publicarum rerum mutatio, neque belli vastatio potest nocere". (da Vitruvio)

*VERSIONE 3 Appello alla moglie di Cicerone in esilio*

O me perditum! O afflictum! Quid nunc? Rogem te ut venias, mulierem aegram, et corpore et animo confectam? Non rogem? Sine te igitur sim? Opinor, sic agam: si est spes nostri reditus, eam confirmes et rem adiuves; sin ("se no"), ut ("come") ego metuo, transactum est ("è finita"), quoquo modo ("in qualunque modo") potes, ad me fac venias. Unum hoc scito: si te habebo, non mihi videbor plane perisse. Sed quid Tulliola mea fiet? Iam id vos videte; mihi deest consilium. Sed certe, quoquo modo res habebit, illius misellae et matrimonio et famae serviendum est. Quid? Cicero (si tratta del figlio Cicerone) meus quid aget? Iste vero sit in sinu semper et in complexu meo. Non queo plura scribere; impedit maeror. (Cicerone)

*VERSIONE 4 Confortiamo i familiari dei caduti in battaglia*

Sed quoniam, patres conscripti, gloriae munus, optimis et fortissimis civibus, monumenti honore persolvitur, consolemur eorum proximos, quibus optima est haec quidem consolatio, parentibus, quod tanta rei publicae praesidia genuerunt, liberis, quod habebunt domestica exempla virtutis, coniugibus, quod carebunt iis viris, quos laudare quam lugere praestabit. Atque utinam his omnibus abstergere fletum sententiis nostris consultisque possemus, vel aliqua talis oratio iis adhiberi publice posset, qua deponerent maerorem atque luctum gauderentque potius; id mortis genus, quod est pulcherrimum, suis obtigisse eosque contactos esse publicis operibus eaque extructione, quae sit ad memoriam aeternitatis ara Virtutis. (da Cicerone)

*VERSIONE 5 Bisogna trattare gli schiavi con umanità*

Nolo me in ingentem locum immettere et de usu servorum disputare, in quos ("nei riguardi dei quali") superbissimi, crudelissimi, contumeliosissimi sumus. Haec tamen praecepti mei summa est: sic cum inferiore vivas quemadmodum ("come") tecum superiorem velis vivere. Quantum tibi in servum tuum licet, veniat in mentem tantundem in te domino tuo licere. "At ego" inquis "nullum habeo dominum". Bona aetas est: forsitan habebis. Nescis qua aetate Hecuba servire coeperit, qua Croesus, qua Darei mater, qua Platon, qua Diogenes? Vive cum servo clementer, comiter quoque, et in sermonem tuum admitte et in consilium et in convictum. Maiores nostri omnem invidiam dominis, omnem contumeliam servis detraxerunt: dominum appellaverunt patrem familiae, servos (appellaverunt) familiares. "Quid ergo? omnes servos admovebo mensae meae?" Non magis quam ("più che") omnes liberos. Non ministeriis ("per la funzione") illos aestimabo sed moribus: sibi quisque dat mores, ministeria casus assignat. Quidam cenent tecum quia digni te sunt, quidam ut digni sint: si quid enim in illis ex sordida conversatione servile est, honestiorum convictus excutiet. (da Seneca)

## **Le proposizioni subordinate implicite**

*VERSIONE 1 Alceste*

Alcestim Peliae et Anaxibies, Biantis filiae, filiam complures proci petebant in coniugio; Pelias vitans eorum condiciones repudiavit et simultatem constituit se daturum esse ei, qui feras bestias ad currum iunxisset et Alcestim in coniugio avexisset. Itaque Admetus ab Apolline petiit, ut se adiuvaret. Apollo autem, quod ab eo in servitutem liberaliter esset acceptus, aprum et leonem ei iunctos tradidit, quibus ille Alcestim avexit. Et illud ab Apolline accepit, ut pro se alius voluntarie moreretur. Pro quo cum neque pater neque mater mori voluisset, uxor se Alcestis obtulit et pro eo vicaria morte interiit; quam postea Hercules ab inferis revocavit. (Igino)

#### *VERSIONE 2 Prodigii sfavorevoli prima di una battaglia*

Priusquam consules praetoresque in provincias proficiscerentur, supplicatio fuit prodigiorum causa ("a causa di"). Capram sex haedos uno fetu ("parto") edidisse ex Piceno nuntiatum est, et Arreti puerum natum unimanum, Amiterni terra pluvisse, Formiis portam murumque de caelo tacta et, quod maxime terrebat, consulis Cn. Domitii bovem locutum: "Roma, cave tibi": Ceterorum prodigiorum causa supplicatum est; bovem cum cura servari aliique (= et ali) haruspices iusserunt. Tiberis, infestiore quam priore anno impetu inlatus urbi, duos pontes, aedificia multa maxime circa Flumentanam portam evertit. Saxum ingens, sive imbribus seu motu terrae, in vicum Iugarium ex Capitolio procidit et multos oppressit. In agris passim inundatis pecua ablata, villarum strages facta est. (da Livio)

#### *VERSIONE 3 La storia del pastore Marsia*

Minerva tibus dicitur prima ex osse cervino fecisse et ad epulum deorum cantatum venisse. Iuno et Venus cum eam irriderent, quod buccas inflaret (traduci con l'indicativo), foeda visa et in cantu irrisa in Idam silvam ad fontem venit, ibique cantans in aqua se aspexit et vidit se merito irrisam esse; unde tibus ibi abiicit et imprecata est, ut, quisquis eas sustulisset, gravi afficeretur supplicio. Quas invenit Marsyas, Oeagri filius, pastor unus e satyris, quibus assidue commeletando sonum suaviolem in dies faciebat, adeo ut Apollinem ad citharae cantum in certamen provocaret. Quo ut Apollo venit, Musas iudices sumpserunt, et cum iam Marsyas inde victor discederet, Apollo citharam versabat idemque sonus erat; quod ("cosa che") Marsya tibus facere non potuit. Itaque Apollo victum Marsyan ad arborem religatum Scythae tradidit, qui cutem ei membratim separavit; reliquum corpus discipulo Olympo sepulturae tradidit, e cuius sanguine flumen Marsyas est appellatum. (da Igino)

#### *VERSIONE 4 La guerra civile tra Cesare e Pompeo*

Hinc iam bellum civile successit execrandum et lacrimabile, quo praeter calamitates, quae in proeliis acciderunt, etiam populi Romani fortuna mutata est. Caesar enim rediens ex Gallia victor coepit poscere alterum consulatum atque ita ut sine dubietate aliqua ei deferretur. Contradictum est a Marcello consule, a Bibulo, a Pompeo, a Catone, iussusque, dimissis exercitibus, ad urbem redire. Propter quam iniuriam ab Arimino, ubi milites congregatos habebat, adversum patriam cum exercitu venit. Consules cum Pompeio senatusque omnis atque universa nobilitas ex urbe fugit et in Graeciam transiit. Apud Epirum, Macedoniam, Achaiam, Pompeio duce, senatus contra Caesarem bellum paravit. Caesar, vacuum urbem ingressus, dictatorem se fecit. Inde in Graeciam transiit, adversum Pompeium dimicavit. Primo proelio victus est et fugatus, evasit tamen, quia, nocte interveniente, Pompeius sequi noluit, dixitque Caesar nec Pompeium scire vincere et illo tantum die se potuisse superari. Deinde in Thessalia, apud Palaeopharsalum, productis utrimque ingentibus copiis, dimicaverunt. Pugnatum est ingenti contentione victusque ad postremum Pompeius et castra

eius direpta sunt. Ipse fugatus Alexandriam petiit, ut a rege Aegypti, cui tutor a senatu datus fuerat propter iuvenilem eius aetatem, acciperet auxilia. Qui fortunam magis quam amicitiam secutus occidit Pompeium, caput eius et anulum Caesari misit. Quo conspecto Caesar etiam lacrimas fudisse dicitur, tanti viri intuens caput et generi quondam sui. (da Eutropio)

*VERSIONE 5 Dionisio di Siracusa si allea con i Galli*

Dionysius tyrannus, quem supra a Sicilia exercitum in Italiam traiecisse bellumque Graecis intulisse memoravimus, expugnatis Locris, Crotonienses vix vires longo otio ex prioris belli clade resumentes adgreditur, qui fortius cum paucis tanto exercitui eius quam antea cum tot milibus Locrensiū paucitate restiterunt. Tantum virtutis paupertas adversus insolentes divitias habet, tantoque insperata<sup>̄</sup> interdum sperata<sup>̄</sup> victoria<sup>̄</sup> certior est. Sed Dionysium gerentem bellum legati Gallorum, qui ante paucos menses Romam incenderant, societatem amicitiamque petentes adeunt, gentem suam inter hostes eius positam esse magnoque usui ei futuram vel in acie bellanti vel de tergo intentis in proelium hostibus adfirmant. Grata legatio Dionysio fuit. Ita pacta societate et auxiliis Gallorum auctus bellum velut ex integro restaurat. (Giustino)

*VERSIONE 6 Attività diplomatica di Alessandro*

Alexander Atheniensium, Rhodiorum et Chiorum legatos audit. Athenienses victoriam gratulabantur, et ut captivi Graecorum suis restituerentur, orabant; Rhodii et Chii de praesidio querebantur; omnes, aequa desiderare visi, impetraverunt (“ottennero soddisfazione”). Mytilaeneis quoque, ob egregiam in partes fidem, et pecuniam, quam in bellum impenderant, reddidit, et magnam regionem finibus eorum adiecit. Cypriorum quoque regibus, qui a Dareō defecerant ad ipsum et oppugnanti Tyrum miserunt classem, pro merito honos habitus est. Amphoterus, deinde, classis praefectus, ad liberandam Cretam missus (namque et Persarum et Spartanorum armis pleraque eius insulae obsidebantur), ante omnia mare a piraticis classibus vindicare iussus est; quippe obnoxium praedonibus erat, in bellum utroque rege converso. His compositis, Herculi Tyrio ex auro crateram cum triginta pateris dicavit, imminensque Dareo iter ad Euphraten pronuntiari iussit. (da Curzio Rufo)

*VERSIONE 7 La città indiana di Nisa si arrende ad Alessandro*

Alexander ad Nysam urbem pervenit. Forte castris ante ipsa moenia in silvestri loco positus, nocturnum frigus vehementius quam alias (“del solito”, lett. “che altre volte”) horrore corpora affecit, opportunumque remedium ignis oblatum est. Caesis quippe silvis, flammam excitaverunt, quae lignis alita oppidanorum sepulcra comprehendit (“raggiunse”). Vetusta cedro erant facta, conceptumque ignem late fuderunt, donec omnia solo aequata sunt. Et ex urbe primum canum latratus, deinde etiam hominum fremitus auditus est. Tunc et oppidani hostem et Macedones ipsos ad urbem venisse cognoscunt. Iamque rex eduxerat copias, et moenia obsidebat, cum hostium qui discrimen temptaverant obruti telis sunt. Aliis ergo deditionem, aliis pugnam experiri placebat. Quorum dubitatione comperta, Alexander circumsederi tantum eos (“limitarsi ad assediare la città”) et abstinere caedibus iussit; tandemque obsidionis malis fatigati, oppidani dederunt se. A Libero patre conditos se esse dicebant; et vera haec origo erat. Sita est sub radicibus montis, quem Meron (“Mero”, termine che in greco significa “coscia”) incolae appellant; inde Graeci mentiendi licentiam traxerunt, Iovis femine Liberum patrem esse celatum. Rex, situ montis cognito ex incolis, praemissis com meatibus, verticem eius ascendit. (da Curzio Rufo)

*VERSIONE 8 Greci e Romani credevano nella divinazione*

Quam vero Graecia coloniam misit in Aeoliam, Ioniam, Asiam, Siciliam, Italiam sine Pythio aut Dodonaeo aut Hammonis oraculo? Aut quod bellum susceptum ab ea sine consilio deorum est? Nec unum genus est divinationis publice privatimque celebratum. Nam ut omittam (“per tralasciare”) ceteros populos, noster quam multa genera complexus est! Principio huius urbis parens Romulus non solum auspicato urbem condidisse, sed ipse etiam optimum augur fuisse traditur. Deinde auguribus et reliqui reges usi, et exactis regibus nihil publice sine auspiciis nec domi nec militiae gerebatur. Cumque magna vis videretur esse et impetriendis consulendisque rebus et monstris interpretandis ac procurandis in haruspicum disciplina, omnem hanc ex Etruria scientiam adhibebant, ne genus esset ullum divinationis, quod neglectum ab iis videretur. (Cicerone)

*VERSIONE 9 Pietà di Attico*

De pietate autem Attici quid plura commemorem? Cum hoc ipsum vere gloriantem audiverim in funere matris suae, quam extulit annorum nonaginta, cum ipse esset septem et sexaginta, se numquam cum matre in gratiam redisse, numquam cum sorore fuisse in similitudine, quam prope aequalem habebat. Quod est signum aut nullam inter eos querimoniam intercessisse, aut hunc ea fuisse in suos indulgentia, ut, quos amare deberet, irasci eis nefas duceret. Neque id fecit natura solum, sed etiam doctrina: nam principum philosophorum ita percepta habuit praecepta, ut iis ad vitam agendam, non ad ostentationem uteretur. (Cornelio Nepote)

*VERSIONE 10 L'adulazione corrompe l'amicizia*

Ut igitur et mone-re et mone-ri proprium est verae amicitiae et alterum libere facere, non aspere, alterum patienter accipere, non repugnanter, sic habendum est nullam in amicitia pestem esse maiorem quam adulationem, blanditiam, adsentationem; quamvis enim multis nominibus potest appellari, est hoc vitium notandum (“biasimare”) levium hominum atque fallacium ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. Cum autem omnium rerum simulatio vitiosa est (tollit enim iudicium veri idque adulterat), tum amicitiae repugnat maxime: delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiae vale-re non potest. Nam cum amicitiae vis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus, qui (= quomodo) id fieri poterit, si ne in uno quidem quoque unus animus erit idemque semper, sed varius, commutabilis, multiplex? Quid enim potest esse tam flexibile, tam devium (“ambiguo”) quam animus eius, qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur? (da Cicerone)

*VERSIONE 11 Antica educazione romana*

Pridem suus cuique filius, ex casta parente natus, non in cellula emptaie nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur, cuius praecipua laus erat tueri domum et inservire liberis. Eligebatur etiam maior aliqua natu propinqua, cuius probatis spectatisque moribus omnis eiusdem familiae suboles committeretur; coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modo curasque, sed remissiones statim lususque puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam Augusti matrem praefuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus. (Tacito)

# Le proposizioni subordinate esplicite

## *VERSIONE 1 I Tirreni*

Tyrrheni, qui postea Tusci sunt dicti, cum piraticam facerent, Liber pater impubis in navem eorum conscendit et rogat eos, ut se Naxum deferrent, qui cum eum sustulissent atque vellent ob formam constuprare, Acoetes gubernator eos inhibuit, qui iniuriam ab eis passus est. Liber ut vidit in proposito eos permanere, remos in thyrsos (“in tirsi”; il tirso era il bastone proprio del dio Dioniso) commutavit, vela in pampinos, rudentes in hederam; deinde leones atque pantherae prosiluerunt. Qui ut (“quando”) viderunt, timentes in mare se praecipitaverunt; quos et in mari in aliud monstrum transfiguravit; nam quisquis se praecipitaverat, in delphini effigiem transfiguratus est; unde delphini Tyrrheni sunt appellati et mare Tyrrhenum est dictum. (Igino)

## *VERSIONE 2 L'ultima battaglia tra Annibale e Scipione*

Interim Hannibale veniente ad Africam pax turbata est, multa hostilia ab Afris facta sunt. Legati tamen eorum ex urbe venientes a Romanis capti sunt, sed iubente Scipione dimissi. Hannibal quoque frequentibus proeliis victus a Scipione petit etiam ipse pacem. Cum ventum esset ad colloquium, isdem condicionibus data est, quibus prius, additis quingentis milibus pondo argenti centum milibus librarum propter novam perfidiam. Carthaginiensibus condiciones displicuerunt iusseruntque Hannibalem pugnare. Infertur a Scipione et Masinissa, alio rege Numidarum, qui amicitiam cum Scipione fecerat, Carthagini bellum. Hannibal tres exploratores ad Scipionis castra misit, quos captos Scipio circumduci per castra iussit ostendique his totum exercitum, mox etiam prandium dari dimittique, ut renuntiarent Hannibali quae apud Romanos vidissent (perché il verbo è al congiuntivo?).

Interea proelium ab utroque duce instructum est: Scipio victor recedit paene ipso Hannibale capto, qui primum cum multis equitibus, deinde cum viginti, postremo cum quattuor evasit. Post id certamen pax cum Carthaginiensibus facta est. Scipio Romam rediit, ingenti gloria triumphavit atque Africanus ex eo appellari coeptus est. Finem accepit secundum Punicum bellum post annum nonum decimum, quam coeperat. (Eutropio)

## *VERSIONE 3 La guerra contro Giugurta*

P. Scipione Nasica et L. Calpurnio Bestia consulibus, Iugurthae, Numidarum regi, bellum inlatum est, quod Adherbalem et Hiempsalem, Micipsae filios, fratres suos, reges et populi Romani amicos, interemisset (perché il verbo è al congiuntivo?). Missus adversus eum consul Calpurnius Bestia, corruptus regis pecunia, pacem cum eo flagitiosissimam fecit, quae a senatu improbata est. Postea contra eundem insequenti anno Sp. Postumius Albinus profectus est. Is quoque per fratrem ignominiose contra Numidas pugnavit. Tertio missus est Q. Caecilius Metellus consul. Is exercitum a prioribus ducibus corruptum ingenti severitate et moderatione correctum, cum (“sebbene”) nihil in quemquam cruentum faceret, ad disciplinam Romanam reduxit. Iugurtham variis proeliis vicit, elephantos eius occidit vel cepit, multas civitates ipsius in deditionem cepit. Et cum iam finem bello positurus esset, successum est ei a C. Mario. Is Iugurtham et Bocchum, Mauritaniae regem, qui auxilium Iugurthae ferre coeperat, pariter superavit. (Eutropio)



*VERSIONE 4 Lotta per il potere dopo la morte di Alessandro Magno*

Fuerunt magni reges ex amicis Alexandri Magni, qui post obitum eius imperium ceperunt. In his Antigonus, et huius filius Demetrius, Lysimachus, Seleucus, Ptolemaeus. Ex his Antigonus, cum adversus Seleucum Lysimachumque dimicaret, in proelio occisus est. Pari leto affectus est Lysimachus ab Seleuco: nam, societate dissoluta, bellum inter se gesserunt. At Demetrius, cum filiam suam Seleuco in matrimonium dedisset, neque eo magis fida inter eos amicitia manere potuisset, captus bello, in custodia socer generi periit morbo. Neque ita multo post Seleucus a Ptolemaeo Cerauno dolo interfectus est, quem ille, a patre expulsum Alexandria, alienarum opum indigentem, receperat. Ipse autem Ptolemaeus, cum vivus filio regnum tradidisset, ab illo eodem vita privatus dicitur. (Cornelio Nepote)

*VERSIONE 5 Sertorio e l'esempio dei cavalli*

Sertorius, dux Lusitanorum fieri coactus, cum eos oratione ("con le parole") flectere non posset ne cum Romanis universa acie conflare vellent, vafro consilio ad suam sententiam perduxit. Duos enim in conspectu eorum constituit equos, validissimum alterum, alterum infirmissimum; deinde, validi equi caudam ab imbecillo sene paulatim carpi, infirmi a iuvene eximiarum virium universam ("di colpo", cioè tutta intera in un colpo solo) convelli iussit. Obtemperatum imperium est. Sed dum adulescentis dextera inrito labore se fatigat, senis confecta ("seppur logorata dall'età") manus ministerium executata est. Tunc barbarae contioni, quorsum ("a quale scopo") ea res tenderet cognoscere cupienti, exponit equi caudam consimilem esse nostrum exercitum: eius partes opprimi possunt, universus autem vinci non potest. Ita gens barbara, aspera et difficilis, in exitium suum ruens, quam utilitatem auribus respuerat, oculis pervidit. (da Valerio Massimo)

*VERSIONE 6 Un messaggio via aerea*

Caesar venit magnis itineribus in Nerviorum fines. Ibi ex captivis cognoscit, quae apud Ciceronem gerantur quantoque in periculo res sit. Tum cuidam ex equitibus Gallis magnis praemiis persuadet, uti (= ut) ad Ciceronem epistolam deferat. Hanc Graecis litteris conscriptam mittit, ne intercepta epistula ab hostibus nostra consilia cognoscantur. Si Ciceronem adire non possit ("non può raggiungere"), monet ut tragulam ("un giavellotto") cum epistula ad amentum ("ad una cinghia") deligata intra munitionem castrorum abiciat. In litteris scribit se, cum legionibus profectum, celeriter adfore; hortatur ut pristinam virtutem retineat. Gallus periculum veritus, ut erat praeceptum, tragulam mittit. Haec, casu, ad turrim adhaesit neque ab nostris biduo animadversa ("notata"), tertio die a quodam milite conspicitur, dempta ad Ciceronem defertur. Ille perlectam in conventu militum recitat maximaque laetitia omnes adficit. Tum fumi incendiorum procul videbantur, quae res omnem dubitationem adventus legionum expulit. (da Cesare)

*VERSIONE 7 Cesare diffida dei Galli*

His de rebus Caesar certior factus et infirmitatem Gallorum veritus, quod sunt in consiliis capiendis mobiles et novis plerumque rebus student, nihil his committendum existimavit. Est enim hoc Gallicae consuetudinis, uti (= ut) et viatores etiam invitos consistere cogant, et quid quisque eorum de quaque re audiverit aut cognoverit quaerant, et mercatores in oppidis vulgus circumstet, quibusque ex regionibus veniant quasque ibi res cognoverint pronuntiare cogat. His rebus atque auditionibus permoti, de summis saepe rebus consilia ineunt, quorum eos in vestigio paenitere necesse est, cum incertis rumoribus serviant et plerique ad voluntatem eorum ficta respondeant. (da Cesare)

*VERSIONE 8 Le leggi, fondamento della città e fonte di giustizia*

Indignum est, in ea civitate, quae legibus contineatur, non adstringi legibus. Hoc enim vinculum est huius dignitatis, qua fruimur in re publica, hoc fundamentum libertatis, hic fons aequitatis: mens et animus et consilium et sententia civitatis posita est in legibus. Ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege suis partibus, ut nervis et sanguine et membris, uti non potest. Legum ministri magistratus, legum interpretes iudices, legum denique idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus. (da Cicerone)

*VERSIONE 9 La vita senza amicizia non è vera vita*

Una est amicitia in rebus humanis, de cuius utilitate omnes uno ore consentiunt. Quamquam a multis virtus ipsa contemnitur et venditatio quaedam atque ostentatio esse dicitur; multi divitias despiciunt, quos parvo contentos tenuis victus cultusque (victus cultusque, “maniera di vivere”) delectat; honores vero, quorum cupiditate quidam inflammantur, quam multi ita contemnunt, ut nihil insanius, nihil levius esse existiment! Itemque cetera, quae quibusdam admirabilia videntur, permulti sunt qui pro nihilo putent. De amicitia omnes ad unum idem consentiunt, et ii qui ad rem publicam se contulerunt, et ii, qui rerum cognitione doctrinaque delectantur, et ii, qui suum negotium gerunt otiosi (“lontani dalla vita politica”), postremo ii, qui se totos tradiderunt voluptatibus: omnes putant sine amicitia vitam esse nullam, si modo velint aliqua ex parte liberaliter vivere. (da Cicerone)

*VERSIONE 10 Perché Cicerone si dedicò alla filosofia*

Si quis requirit quae causa nos impulerit, ut haec tam sero litteris mandarem, nihil est quod tam facile expedire possimus. Nam cum otio langueremus et is esset rei publicae status, ut eam unius consilio atque cura gubernari necesse esset, primum ipsius rei publicae causa philosophiam nostris hominibus explicandam putavi, magni existimans interesse ad decus et ad laudem civitatis res tam graves tamque praeclaras etiam Latinis litteris contineri. Nec me instituti mei paenitet, quod facile sentio quam multorum non modo discendi, sed etiam scribendi studia commoverim. Complures enim, Graecis institutionibus eruditi, ea quae didicerant cum civibus suis communicare non poterant, quod illa quae a Graecis acceperant, Latine dici posse diffiderent. (da Cicerone)

*VERSIONE 11 Seneca in esilio conforta la madre*

Respice, mater optima, fratres meos, quibus salvus, fas tibi non est accusare fortunam. In utroque habes, quod te diversa virtute delectet: alter honores industria consecutus est, alter sapienter honores contempsit. Adquiesce (“Trova conforto”) alterius filii dignitate, alterius quiete, utriusque pietate. Bene liberos tuos et in auxilium et in oblectamentum fortuna disposuit; potes alterius dignitate defendi, alterius otio frui. Certabunt in te officii et unius desiderium duorum pietate supplebitur. Ab his ad nepotes quoque respice: Marcum blandissimum puerum, ad cuius conspectum nulla potest durare tristitia; nihil tam magnum, nihil tam recens in cuiusquam pectore fuit, quod non circumfusus ille permulceat. Deos oro ut contingat hunc habere nobis superstitem! (da Seneca)

### *VERSIONE 12 Arrivo di Enea e dei suoi compagni in Italia*

Traditur Aeneas domo profugus ad Laurentem ("di Laurento", città del Lazio) agrum cursum tenuisse. Ibi egressi Troiani, cum praedam ex agris agerent, Latinus rex Aborigenesque, qui tum ea loca tenebant, ad arcendam vim advenarum armati ex urbe atque agris concurrunt. Sed priusquam signa receptui canerent, processit Latinus inter primores ducemque advenarum evocavit ad colloquium eumque percontatus est, qui mortales essent, unde aut quo casu profecti essent domo, quid quaerentes in agrum Laurentinum exissent. Traditur rex Latinus, cum audisset ducem Aenean esse filium Anchisae et Veneris, nobilitatem admiratus gentis virique, dextra data, fidem futurae amicitiae sanxisse. Inde foedus ictum est inter duces, inter exercitus salutatio facta est. Postea domesticum foedus adiunxerunt; nam regis filia, cui nomen erat Laviniae, Troiano duci nupsit. Oppidum condunt, cui ab uxore nomen Lavinium datur. (da Livio)

### *VERSIONE 13 Crudeltà di Nerone*

Uxores praeter Octaviam duas postea duxit: Poppaeam Sabinam, quaestorio patre natam et equiti Romano antea nuptam, deinde Statiliam Messalinam, Tauri bis consulis ac triumphalis abneptem. Qua ut potiretur, virum eius Atticum Vestinum consule in honore ipso trucidavit. Octaviae consuetudinem cito aspernatus, corripientibus amicis sufficere illi debere respondit uxoria ornamenta. Eandem mox saepe frustra strangulare meditatus, dimisit ut sterilem, sed improbante divortium populo nec parcente conviciis, etiam relegavit, denique occidit sub crimine ("con l'accusa") adulteriorum. Poppaeam, duodecimo die post divortium Octaviae in matrimonium acceptam, dilexit unice; et tamen ipsam quoque ictu calcis occidit, quod se ex aurigatione sero reversum gravida et aegra conviciis incesserat. Ex hac filiam tulit Claudiam Augustam, amisitque admodum infantem. (Svetonio)

## **Le proposizioni relative**

### *VERSIONE 1 Bilancio dell'impero di Augusto*

Augustus obiit autem septuagesimo sexto anno morte communi ("di morte naturale") in oppido Campaniae Atella. Romae in campo Martio sepultus est, vir, qui non inmerito ex maxima parte deo similis est putatus. Neque enim facile ullus eo aut in bellis felicius fuit aut in pace moderatior. Quadraginta et quattuor annis, quibus ("durante i quali") solus gessit imperium, civilissime vixit, in cunctos liberalissimus, in amicos fidissimus, quos tantis honoribus evexit, ut paene aequaret fastigio suo ("alla sua altezza"). Nullo tempore ante eum magis Romana res floruit. Nam exceptis civilibus bellis, in quibus invictus fuit, Romano adiecit imperio Aegyptum, Cantabriam, Dalmatiam saepe ante victam, sed penitus tunc subactam, Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Raetiam, Vindelicos et Salassos in Alpibus, omnes Ponti maritimas civitates, in his nobilissimas Bosphorum et Panticapaeum. Vicit autem multis proeliis Dacos. Germanorum ingentes copias cecidit, ipsos quoque trans Albim fluvium summovit, qui in Barbarico longe ultra Rhenum est. Hoc tamen bellum per Drusum, privignum suum, administravit, sicut ("come anche") per Tiberium, privignum alterum, bellum Pannonicum gessit, quo bello XL captivorum milia ex Germania transtulit et supra ripam Rheni in Gallia conlocavit. Armeniam a Parthis recepit. Obsides, quod nulli antea, Persae ei dederunt. Reddiderunt etiam signa Romana, quae Crasso victo ademerant. Scythae

et Indi, quibus antea Romanorum nomen incognitum fuerat, munera et legatos ad eum miserunt. (Eutropio)

#### *VERSIONE 2 Il regno dell'imperatore Claudio*

Post hunc Claudius fuit, patruus Caligulae, Drusi, qui apud Mogontiacum ("presso Magonza") monumentum ("monumento funebre") habet, filius, cuius et Caligula nepos erat. Hic medie ("con aspetti positivi e negativi") imperavit, multa gerens tranquille atque moderate, quaedam crudeliter et insulse. Britanniae intulit bellum, quam nullus Romanorum post C. Caesarem (si tratta di Giulio Cesare) attigerat, eaque devicta per Cn. Sentium et A. Plautium, inlustres ac nobiles viros, triumphum celebrem egit.

Quasdam insulas etiam ultra Britannias in Oceano positas imperio Romano addidit, quae appellantur Orchades, filio autem suo Britannici nomen inposuit. Tam civilis autem circa quosdam amicos extitit, ut etiam Plautium, nobilem virum, qui expeditione Britannica multa egregie fecerat, triumphantem ipse prosequeretur et conscendenti ("a lui che avanzava") Capitolium laevus ("alla sinistra") incederet. Is vixit annos IV et LX, imperavit XIV. Post mortem consecratus est Divusque appellatus. (Eutropio)

#### *VERSIONE 3 Cesare conquista la città di Brindisi*

Brundisini Pompeianorum militum iniuriis atque ipsius Pompei contumeliis permoti, Caesaris rebus favebant. Itaque cognita Pompei profectio, concursantibus illis atque in ea re occupatis, vulgo ("da ogni parte") ex tectis significabant. Per quos re cognita, Caesar scalas parari militesque armari iubet. Pompeius sub noctem naves solvit. Qui erant in muro custodiae causa collocati, eo signo, quod convenerat, revocantur notisque itineribus ad naves decurrunt. Milites, positis scalis, muros ascendunt, sed moniti a Brundisinis, ut vallum caecum fossasque caveant, subsistunt et, longo itinere ab his circumducti, ad portum perveniunt duasque naves cum militibus, quae ad moles Caesaris adhaeserant, scaphis lintribusque reprehendunt. (da Cesare)

#### *VERSIONE 4 Difficoltà di Cesare per il maltempo*

Accidit etiam repentinum incommodum biduo quo ("dopo due giorni che") haec gesta sunt. Tanta enim tempestas cooritur, ut numquam illis locis maiores aquas fuisse constaret. Tum autem ex omnibus montibus nives proluit ac summas ripas fluminis superavit pontesque ambo, quos C. Fabius fecerat, uno die interruptit. Quae res magnas difficultates exercitui Caesaris attulit. Castra enim, ut supra demonstratum est, cum essent inter flumina duo, Sicorim et Cingam, spatio milium XXX, neutrum horum transiri poterat, necessarioque omnes his angustiis continebantur. Neque civitates, quae ad Caesaris amicitiam accesserant, frumentum supportare, neque ei, qui pabulatum longius progressi erant, interclusi fluminibus, reverti neque maximi commeatus, qui ex Italia Galliaque veniebant, in castra pervenire poterant. Tempus erat autem difficillimum, quo ("durante il quale") neque frumenta in hibernis erant. (Cesare)

#### *VERSIONE 5 Una ricompensa divina*

Olim Simonides poeta, cum cenaret Crannone in Thessalia apud Scopam, fortunatum hominem et nobilem, cecinit id carmen, quod in eum scripserat, in quo multa orandi causa, poetarum more, in divinos Castorem et Pollucem scripta fuerant. Qua re Simonidi Scopa dixit se dimidium eius, quod pactus esset, pro illo carmine ei daturum esse: reliquum a Castore et

Polluce, quos aequae laudavisset, petendum erat, si ei videretur. Paulo post, est nuntiatum Simonidi, ut prodiret: iuvenes stabant ad ianuam duo quosdam, qui eum magno opere evocarent. Surrexit ille, prodiit, vidit neminem: hoc interim spatio conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidit; ea ruina ipsum cum cognatis oppressum suis interiit.  
(da Cicerone)

*VERSIONE 6 Un messaggero di vittoria*

Victo Antiocho rege apud Thermopylas, M'. (= Manius) Atilius consul Chalcidem venit: ei portae patuerunt, cum, appropinquante eo, Aristoteles, praefectus regis, urbe excessisset. Et ceterae urbes in Euboea sine certamine traditae sunt; paucosque post dies exercitus Thermopylas reductus est. Inde consul M. Catonem, per quem quae gesta essent senatus populusque Romanus sciret, Romam misit. Is a Creusa (Thespiensium emporium est, in intimo sinu Corinthiaco retractum) Patras (Patrae, arum, "Patrasso") Achaiae petit; a Patris Corcyram usque Aetoliae atque Acharnaniae litora legit atque ita ad Hydruntum Italiae traicit. Quinto die inde pedestri itinere Romam ingenti cursu pervenit. Ante lucem ingressus urbem, a porta ad praetorem M. Iunium iter intendit. Is prima luce in senatum vocavit, quo supervenit L. Cornelius Scipio, aliquot diebus ante a consule dimissus. Duo inde legati iussu senatus in contionem populi sunt producti atque ibi eadem, quae in senatu, de rebus in Aetolia gestis exposuerunt. Supplicatio in triduum decreta est. (da Livio)

*VERSIONE 7 Gli Ateniesi sconfitti da Lisandro piangono la loro sorte*

Lysander autem, dux Lacedaemoniorum, rebus feliciter gestis fortunae hostium insultat. Captivas naves cum praeda bellica in triumphi modum ornatas mittit Lacedaemona ac tributarias Atheniensium civitates, quas metus dubiae belli fortunae in fide tenuerat, voluntarias recipit, nec aliud dicionis Atheniensium praeter urbem ipsam relinquit. Quae cuncta cum Athenis nuntiata essent, omnes, relictis domibus, per urbem discurrere pavidi, alius alium sciscitari, auctorem nuntii requirere (infiniti storici); non pueros inprudencia, non senes debilitas, non mulieres sexus inbecillitas domi tenet: adeo ad omnem aetatem tanti mali sensus penetraverat. In foro deinde coeunt atque ibi perpeti nocte fortunam publicam questibus iterant. Alii fratres aut filios aut parentes deflent; cognatos alii, alii amicos cognatis cariores, et cum privatis casibus querelam publicam miscent: iam se ipsos, iam ipsam patriam perituram miserioremque incolumium quam amissorum fortunam iudicantes; sibi quisque ante oculos obsidionem, famem et superbium victoremque hostem proponentes; iam ruinam urbis et incendia, iam omnium captivitatem et miserrimam servitutem recordantes; feliciores prorsus priores urbis ruinas ducentes, quae incolumibus filiis parentibusque tectorum tantum ruinae taxatae sint. Nunc autem non classem, in quam sicuti pridem confugiant, superesse (infinito storico), non exercitum, cuius virtute servati pulchriora possent moenia exstruere.  
(Giustino)

*VERSIONE 8 Gige da pastore diviene re*

Gyges cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, descendit in illum hiatum aeneumque equum, ut ("come") ferunt fabulae, animadvertit, cuius in lateribus fores essent; quibus apertis, corpus hominis mortui vidit magnitudine inusitata anulumque aureum in digito; quem ut detraxit, ipse induit (erat autem regius pastor), tum se in concilium pastorum recepit. Ibi cum palam eius anuli ad palmam converterat, a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat; idem rursus videbatur cum in locum anulum inverterat. Itaque hac opportunitate anuli usus, regina adiutrice, regem dominum interemit, sustulit quos obstare arbitrabatur, nec

in his eum facinoribus quisquam potuit videre. Sic repente anuli beneficio rex exortus est Lydiae. (da Cicerone)

*VERSIONE 9 Cicerone describe alcuni suoi provvedimenti a Roma*

Urbanæ autem res sic se habent. Agraria lex a Flavio tribuno plebis vehementer agitabatur auctore Pompeio; quæ nihil populare habebat præter auctorem. Ex hac ego lege secunda contionis voluntate omnia illa tollebam, quæ ad privatorum incommodum pertinebant, liberabam agrum eum, qui P. Mucio, L. Calpurnio consulibus publicus fuisset, Sullanorum hominum possessiones confirmabam, Volaterranos et Arretinos, quorum agrum Sulla publicaverat neque dividerat, in sua possessione retinebam; unam rationem non reiciebam, ut ager hac adventicia pecunia emeretur, quæ ex novis vectigalibus per quinquennium reciperetur. (Cicerone)

*VERSIONE 10 Cicerone scrive all'amico Attico che è lontano*

Cicero Attico Sal.

Tu autem, qui sæpissime curam et angorem animi mei sermone et consilio levasti tuo, qui mihi et in publica re socius et in privatis omnibus conscius et omnium meorum sermonum et consiliorum particeps esse soles, ubinam es? Ita sum ab omnibus destitutus, ut tantum quietis habeam, quantum cum uxore et filiola et mellito Cicerone (si tratta del figlio Cicerone) consumitur. Nam illæ ambitiosæ nostræ fucosæque amicitiae sunt in quodam splendore forensi, fructum domesticum non habent. Itaque, cum bene completa domus est tempore matutino, cum ad forum stipati gregibus amicorum descendimus, reperire ex magna turba neminem possumus, quocum aut iocari libere aut suspirare familiariter possimus. Quare te exspectamus, te desideramus, te iam etiam arcessimus. Multa sunt enim, quæ me sollicitant anguntque; quæ mihi videor aures nactus tuas unius ambulationis sermone exhaurire posse. (Cicerone)

*VERSIONE 11 Un esempio di rispetto della legge*

Bibulus vir amplissimæ dignitatis fuit. Qui, cum in Syria provincia moraretur, duos egregiæ indolis filios suos a Gabinianis militibus Aegypti occisos cognovit. Quorum interfectores ad eum vinctos regina Cleopatra misit, ut gravissimæ cladis ultionem arbitrio suo exigeret. At ille, oblato beneficio, quo nullum maius lugenti tribui poterat, dolorem moderationi cedere coegit carnificesque sanguinis sui intactos e vestigio ad Cleopatram reduci iussit. Enim dixit potestatem huius vindictæ non suam, sed senatus esse debere. (da Valerio Massimo)

*VERSIONE 12 La Battriana*

Bactrianæ terræ multiplex et varia natura est. Alibi multa arbor et vitis largos mitesque fructus alit; solum pingue crebri fontes rigant; quæ mitiora sunt, frumento conseruntur; cetera armentorum pabulo cedunt. Magnam deinde partem eiusdem terræ steriles arenæ tenent; squalida siccitate regio non hominem, non frugem alit; cum vero venti a Pontico mare spirant, quidquid sabuli in campis iacet, converrunt. Quod ubi cumulatum est, magnorum collium procul species est, omniaque pristini itineris vestigia intereunt. Itaque qui transeunt campos, navigantium modo noctu sidera observant, ad quorum cursum iter dirigant, et propemodum clarius est noctis umbra quam lux. Ergo interdum in via est regio, quia nec vestigium, quod sequantur, inveniunt, et nitor siderum caligine absconditur. (Curzio Rufo)

### *VERSIONE 13 Afranio e Petreio organizzano la loro difesa*

Quibus rebus nuntiatis, Afranius ab instituto opere discedit seque in castra recipit, sic paratus, ut quieto et aequo animo res adversas ferret. Petreius vero non deserit sese (“perdersi di animo”). Armat familiam (“i suoi schiavi”); cum hac et cum praetoria cohorte cetratorum (“soldati spagnoli”, armati con scudi leggeri) barbarisque equitibus paucis, beneficiariis suis, quos suae custodiae causa habe-re consueverat, improvise ad vallum advolat, colloquia militum interrumpit, nostros repellit a castris, interficit quos deprendit (“cogliere di sorpresa”). Milites, qui reliqui erant, coeunt inter se et, repentina pericula exterriti, sinistras (“le mani sinistre”) sagis involvunt (“ricoprire per difesa”) gladiosque destringunt atque ita se a cetratis equitibusque defendunt castrorum propinquitate confisi seque in castra recipiunt et ab eis cohortibus, quae erant in statione ad portas, defenduntur. (da Cesare)

## **Le proposizioni complete esplicite**

### *VERSIONE 1 Il giovane Paride*

Priamus Laomedontis filius cum complures liberos haberet ex concubitu Hecubae Cissei sive Dymantis filiae, uxor eius praegnans in quiete vidit se facem ardentem parere, ex qua serpentes plurimos exisse. Id visum omnibus coniecturibus cum narratum esset, imperant, quicquid pareret, necaret, ne id patriae exitio foret. Postquam Hecuba peperit Alexandrum, datur interficiendus, quem satellites misericordia exposuerunt; eum pastores pro suo filio repertum expositum educarunt (= educaverunt) eumque Parim nominaverunt. Is cum ad puberem aetatem pervenisset, habuit taurum in deliciis; quo cum satellites missi a Priamo, ut taurum aliquis adduceret, venissent, qui in athlo funebri, quod ei fiebat, poneretur, coeperunt Paridis taurum abducere. Qui persecutus est eos et inquisivit, quo eum ducerent; illi indicant se eum ad Priamum adducere ei, qui vicisset ludis funebribus Alexandri. Ille amore incensus tauri sui descendit in certamen et omnia vicit, fratres quoque suos superavit. Indignans Deiphobus gladium ad eum strinxit; at ille in aram Iovis Hercei insiluit; quod cum Cassandra vaticinaretur eum fratrem esse, Priamus eum agnovit regiaque recepit. (Igino)

### *VERSIONE 2 Il re Mida*

Midas rex Mygdonius filius Matris deae a Tmolo arbiter sumptus eo tempore, quo Apollo cum Marsya vel Pane fistula certavit. Quod cum Tmolus victoriam Apollini daret, Midas dixit Marsyae potius dandam. Tunc Apollo indignatus Midae dixit: “Quale cor in iudicando habuisti, tales et auriculas habebis”. Quibus auditis effecit, ut asininas haberet aures. Eo tempore Liber pater cum exercitum in Indiam duceret Silenus aberravit, quem Midas hospitio liberaliter accepit atque ducem dedit, qui eum in comitatum Liberi deduceret. At Midae Liber pater ob beneficium deoptandi dedit potestatem, ut, quicquid vellet, peteret a se. A quo Midas petiit, ut, quicquid tetigisset, aurum fieret. Quod cum impetrasset (= impetravisset) et in regiam venisset, quicquid tetigerat, aurum fiebat. Cum iam fame cruciaretur, petit a Libero, ut sibi speciosum donum eriperet; quem Liber iussit in flumine Pactolo se abluere, cuius corpus aquam cum tetigisset, facta est colore aureo; quod flumen nunc Chrysorroas (“Crisorroa”, che in greco significa “dalle correnti d’oro”) appellatur in Lydia. (Igino)

*VERSIONE 3 La marea distrugge la flotta*

Eaēdem nocte accidit ut esset luna plena: quod maritimos aestus (“maree”) maximos in Oceano effimere consuevit; tamen nostris id erat incognitum. Ita uno tempore et longas naves, quibus Caesar exercitum transportandum curaverat quasque (= et quas) in aridum (“in secco”) subduxerat, aestus compleverat, et onerarias, quae ad ancoras erant deligatae, tempestas adflictabat; neque nulla nostris facultas aut administrandi aut auxiliandi erat. Compluribus navibus fractis, reliquae cum essent, ancoris reliquisque armamenta amissis, ad navigandum inutiles (“non adatte a, non in condizioni di”), magna totius exercitus perturbatio facta est. Neque enim naves erant aliae, et omnia deerant quae ad reficiendas naves erant usui, et frumentum in his locis in hiemem provisum non erat. (da Cesare)

*VERSIONE 4 Città della Britannia si sottomettono a Cesare*

Caesar cum omnibus copiis in Morinos proficiscitur, quod inde erat brevissimus in Britanniam traiectus. Huc naves undique ex finitimis regionibus et classem, quam superiore aestate fecerat, iubet convenire. Interim, consilio eius cognito et per mercatores perlato ad Britannos, a compluribus insulae civitatibus ad eum legati veniunt, qui polliceantur obsides dare atque imperio populi Romani obtemperare. Quibus auditis, liberaliter pollicitus hortatusque ut in ea sententia permanerent, eos domum remittit et cum iis una Commium, quem ipse regem ibi constituerat, cuius et virtutem et consilium probabat et quem sibi fidelem esse arbitrabatur cuiusque auctoritas in his regionibus magni habebatur, mittit. Huic imperat ut civitates adeat, quas possit, horteturque ut populi Romani fidem sequantur seque celeriter eo venturum nuntiet. (da Cesare)

*VERSIONE 5 La vittoria degli Ateniesi sui Persiani a Maratona*

Hoc in tempore nulla civitas Atheniensibus auxilio fuit praeter Plataeenses. Ea mille misit militum. Itaque horum adventu decem milia armatorum completa sunt; quae manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate. Quo factum est, ut plus quam collegae Miltiades valeret. Eius ergo auctoritate impulsus Athenienses copias ex urbe eduxerunt locoque idoneo castra fecerunt. Dein postero die sub montis radicibus acie e regione instructa non apertissima – namque arbores multis locis erant raras – proelium commiserunt hoc consilio ut et montium altitudine tegerentur et arborum tractu equitatus hostium impediretur, ne multitudine clauderentur. Datis, Persarum dux, etsi non aequum locum videbat suis, tamen, fretus numero copiarum suarum, conflare cupiebat eoque magis quod (“tanto più perché”) dimicare utile arbitrabatur, priusquam Lacedaemonii subsidio venirent. Itaque in aciem peditum centum, equitum decem milia produxit proeliumque commisit. In quo tanto plus virtute valuerunt Athenienses, ut decemvicem numerum hostium profligaverint adeoque perterruerint, ut Persae non castra, sed naves petiverint. Qua pugna nihil adhuc exstitit nobilius. Nulla enim umquam tam exigua manus tantas opes prostravit. (da Cornelio Nepote)

*VERSIONE 6 Resistenza dei Greci all'invasione persiana*

Themistoclis consilium (di affrontare i Persiani con la flotta) plerisque civitatibus displicebat et in terra dimicari magis placebat. Itaque missi sunt delecti cum Leonida, Lacedaemoniorum rege, qui Thermopylas occuparent longiusque barbaros progredi non paterentur. Hi vim hostium non sustinuerunt eoque loco omnes interierunt. At classis communis Graeciae trecentarum navium, in qua ducentae erant Atheniensium, primum apud Artemisium inter Euboeam continentemque terram cum classiariis regis confligit. Angustias enim Themistocles



quaerebat, ne multitudine circuiretur. Hic etsi pari proelio discesserant, tamen eodem loco non sunt ausi manere, quod erat periculum, ne, si pars navium adversariorum Euboeam superavisset (“avesse superato”), ancipiti (“da due parti”) premerentur periculo (“avrebbero corso pericolo”). Quo factum est, ut ab Artemisio discederent et exadversum Athenas apud Salamina classem suam constituerent. (da Cornelio Nepote)

*VERSIONE 7 Annibale inganna i Cretesi*

Hannibal, verens ne Romanis dederetur, quod sine dubio accidisset, si sui fecisset potestatem (“se si fosse fatto prendere”), Cretam ad Gortynios venit, ut ibi consideraret quo se conferret. Vidit autem vir omnium callidissimus in magno se fore periculo propter avaritiam Cretensium. Magnam enim secum pecuniam portabat, de qua sciebat exisse (“essersi sparsa”) famam. Itaque capit tale consilium. Amphoras complures complet plumbo, summas operit auro et argento. Eas praesentibus principibus deponit in templo Dianae, simulans se suas fortunas illorum fidei credere. His in errorem inductis, statuas aeneas, quas secum portabat, omni sua pecunia complet easque in propatulo domi abicit. Gortynii templum magna cura custodiunt non tam a ceteris quam ab Hannibale, ne ille, inscientibus iis, tolleret secumque duceret. Sic conservatis suis rebus, Poenus, illis Cretensibus omnibus, ad Prusiam in Pontum pervenit. (da Cornelio Nepote)

*VERSIONE 8 Plinio piange la morte di un caro amico*

Decessit Corellius Rufus. Cogito quo amico, quo viro caream. Implevit quidem annum septimum et sexagesimum, quae aetas etiam robustissimis satis longa est; scio. Evasit perpetuam valetudinem; scio. Decessit superstitibus suis, florente re publica, quae illi omnibus carior erat; et hoc scio. Ego tamen tamquam et iuvenis et firmissimi mortem doleo, doleo autem – licet me imbecillum putes – meo nomine. Amisi enim, amisi vitae meae testem rectorem magistrum. In summa dicam, quod recenti dolore contubernali meo Calvisio dixi: “Vereor ne neglegentius vivam”. Proinde adhibe solacia mihi, non haec: “Senex erat, infirmus erat”. (da Plinio)

*VERSIONE 9 Dario riorganizza l'esercito a Babilonia*

Dareus, cum ab Aegypto devertisse in Africam hostem comperisset, dubitaverat utrumne circa Mesopotamiam subsisteret an interiora regni sui peteret. Sed ut (“quando”) fama vulgavit Alexandrum cum omnibus copiis petiturum esse quamcumque ipse adisset regionem, omnia longinquarum gentium auxilia Babyloniam contrahi iussit. Bactriani Scythaeque et Indi convenerunt: iam et ceterarum gentium copiae simul adfuerunt. Ceterum, cum maior esset exercitus, quam (“di quello che”) in Cilicia fuerat, multis militibus arma deerant, quae summa cura comparabantur. Equitibus equisque tegumenta erant ex ferreis lamminis serie inter se conexas; quibus (“a chi”) antea praeter iacula (“oltre ai giavellotti”) nihil dederat, scuta gladiique adiciebantur; equorum greges peditibus distributi sunt, ut maior pristino (“di prima”) esset equitatus. Etiam ducentae falcatae (“dotate di falci da combattimento”) quadrigae erant. Hoc modo instructo exercitu ac perarmato, Dareus Babylone copias movit. (da Curzio Rufo)

*VERSIONE 10 Dario è ritenuto morto in battaglia*

Darius et Alexander, iunctis prope agminibus proelium accenderant; plures Persae cadebant, par ferme utrimque numerus vulnerabatur. Curru Dareus, Alexander equo vehebatur:

utrumque delecti tuebantur, sui immemores. Postea, qui circa Alexandrum erant vidisse se crediderunt paululum super caput regis placide volantem aquilam, non sono armorum, non gemitu morientium territam, diuque circa equum Alexandri adparuit. Certe vates Aristander, alba veste indutus, militibus in pugnam intentis avem monstrabat, haud dubium victoriae auspiciam. Ingens ergo alacritas ac fiducia paulo ante territos accendit ad pugnam, utique (“soprattutto”) postquam auriga Darei, qui ante ipsum sedens equos regebat, hasta transfixus est. Nec aut Persae aut Macedones dubitaverunt quin ipse rex esset occisus. Ergo lugubri ululatu et incondito clamore gemituque totam fere aciem turbaverunt cognati Darei et armigeri. (da Curzio Rufo)

*VERSIONE 11 Non sono gli atteggiamenti esteriori a distinguere il filosofo*

Seneca Lucilio suo salutem dicit. Quod (“dal momento che”) pertinaciter studes ut te meliorem cotidie facias, et probo et gaudeo, nec tantum hortor ut perseveres, sed etiam rogo. Illud autem te admoneo, ne eorum more qui non proficere (“essere utili”), sed conspici (“mettersi in mostra”) cupiunt, facias aliqua quae in habitu tuo aut genere vitae notabilia sint. Asperum cultum et intonsum caput et neglegentiosem barbam et indictum argento odium et cubile humi positum evita. Satis ipsum nomen philosophiae invidiosum (“oggetto di invidia”) est. Non splendeat toga, ne sordeat quidem; non habeamus argentum, sed non putemus frugalitatis indicium auro argentoque caruisse. Id agamus ut meliorem vitam sequamur quam vulgus, non ut contrariam. (da Seneca)

*VERSIONE 12 Socrate si oppone ad una ingiusta sentenza di morte*

Universa civitas Atheniensium, iniquissimo ac truculentissimo furore instincta de capite decem praetorum (“strateghi”), qui apud Arginusas Lacedaemoniam classem deleverant, tristem sententiam tulerat. Forte tunc eius potestatis Socrates, cuius arbitrio plebei scita (“i decreti del popolo”) ordinarentur, indignum iudicans tot et tam bene meritos indigna causa impetu invidiae abripi, temeritati multitudinis constantiam suam obiecit maximoque contionis fragore et incitatissimis minis compulsus non est ut se publicae dementiae auctorem ascriberet. Nec timuit Socrates ne consternatae patriae undecimus furor existeret mors ipsius. (Valerio Massimo)

*VERSIONE 13 Crudeltà di Cambise*

Cambysen regem nimis deditum vinum Praexaspes, unus ex carissimis, monebat ut parcius biberet, turpem esse dicens ebrietatem in regem quem omnium oculi auresque sequerentur. Ad haec ille: “Ut scias – inquit – quemadmodum numquam excidam mihi, adprobabo iam et oculos, post vinum, et manus in officio esse”. Bibit deinde liberalius quam alias (“rispetto alle altre volte”) capacioribus scyphis (“tazze”) et, iam gravis et vinolentus, obiurgatoris sui filium procedere ultra limen iubet adlevataque super caput sinistra manu stare. Tunc intendit arcum et ipsum cor adolescentis (id enim petere se dixerat) figit, rescissoque pectore haerens spiculum in ipso corde ostendit ac respiciens patrem interrogavit satisne certam haberet manum. (Seneca)

# Le proposizioni avverbiali

## *VERSIONE 1 Ulisse ritorna a Itaca*

Ulixes ab Alcino rege, Nausicae patre, cum esset muneribus dimissus, Ithacam pervenit ad quandam casam suam, ubi erat nomine Eumaeus sybotes ("pastore"). Cum eum canis agnosceret et ei blandiretur, Eumaeus eum non recognoscebat, quoniam Minerva eum et habitum eius commutaverat. Cum Eumaeus eum rogavisset unde esset, ille ait se naufragio huc pervenisse. Pastori eum interroganti num Ulixem vidisset, dixit se comitem eius esse et signa et argumenta coepit dicere. Quem mox Eumaeus recepit, cibo potuque animavit.

Quo cum venissent famuli missi, solito more, pecora petitem, et ille interrogavisset qui essent, Eumaeus ait: "Post Ulixis profectionem, cum iam tempus interincederet, proci Penelopen in coniugium petentes venerunt; quos illa conditione ita differt: 'Cum telam detexuero, virum eligam'. Sed Penelope interdum texit, noctu detexit, et sic eos differt. Nunc autem illi cum ancillis Ulixis discumbunt et pecora eius consumunt".

Tunc Minerva effigiem suam ei restituit: subito sybotes, ut vidit Ulixem esse, tenens amplectensque lacrimari coepit prae gaudio. Cui Ulixes ait: "Crastino die perduc me in regiam ad Penelopen". Cui ad regiam ituro Minerva iterum faciem mendici transformavit. Quem cum Eumaeus ad procos perduxisset et cum ancillis illi discumberent, ait ad illos: "Habetis ecce alterum mendicum, qui cum Iro vos delectet". (da Igino)

## *VERSIONE 2 Fetonte*

Phaethon, Solis et Clymenes filius, cum clam patris currum conscendisset et altius a terra esset elatus, prae timore decidit in flumen Eridanum. Hunc Iuppiter cum fulmine percussisset, omnia ardere coeperunt. Iovis (= Iuppiter, nominativo) ut omne genus mortalium cum causa interficeret, simulavit se velle extinguere; amnes undique irrigavit omneque genus mortalium interiit praeter Pyrrham et Deucalionem. At sorores Phaethontis, quod equos iniussu patris iunxerant, in arbores populos commutatae sunt. (Igino)

## *VERSIONE 3 Non tutte le promesse vanno mantenute*

Ne illa quidem promissa servanda sunt, quae non sunt utilia iis ipsis, quibus illa promiseris. Sol Phaetonti filio, ut redeamus ad fabulas, facturum se esse dixit quidquid ille optavisset. Phaethon optavit ut in currum patris tolleretur: sublatus est; sed, ante quam constitit (qui "prendere posizione"), ictu fulminis deflagavit. Quanto melius fuerat in hoc promissum patris non esse servatum! Quid ("E che dire") de Agamemnone? Qui, cum devovisset Dianae quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolavit filiam Iphigeniam, qua nihil eo anno erat natum pulchrius. Promissum potius non faciendum quam tam taetrum facinus admittendum (qui "commettere") fuit. (da Cicerone)

## *VERSIONE 4 L'ateniese Timoteo*

Timothei moderatae sapientisque vitae cum pleraque possimus proferre testimonia, uno erimus contenti, quod ("poiché") ex eo facile conici poterit, quam carus suis fuerit. Cum Athenis adulescentulus causam diceret, non solum amici privatique hospites ad eum defendendum convenerunt, sed etiam in eis Iason, tyrannus Thessaliae, qui illo tempore fuit omnium potentissimus. Hic (= Iason), cum in patria sine satellitibus ("guardie del corpo") se tutum non arbitraretur, Athenas sine ullo praesidio venit tantique hospitem fecit, ut mallet se capitis periculum adire quam Timotheo de fama dimicanti ("si batteva in difesa del proprio

onore”) deesse. Hunc adversus tamen Timotheus postea, populi iussu, bellum gessit, patriae sanctiora iura quam hospitii esse duxit. (Cornelio Nepote)

#### *VERSIONE 5 Epaminonda e Meneclide*

Epaminondas fuit etiam disertus, ut nemo ei Thebanus par esset eloquentia, neque minus concinnus in brevitate respondendi quam in perpetua oratione ornatus. Habuit obtrectatorem Menecliden quendam, indidem Thebis, et adversarium in administranda re publica, satis exercitatum in dicendo. Is quod in re militari flore re Epaminondam videbat, hortari solebat Thebanos, ut pacem bello anteferrent, ne illius imperatoris opera desideraretur. Huic ille: “Fallis – inquit – verbo civis tuos, quod hos a bello avocas: otii enim nomine servitatem concilias. Nam paritur pax bello. Itaque, qui ea diutina volunt frui, bello exercitati esse debent”. (da Cornelio Nepote)

#### *VERSIONE 6 Attico e Silla*

Athenas ex Asia Sulla decedens cum venisset, quamdiu ibi fuit, secum habuit Pomponium Atticum, captus adolescentis et humanitate et doctrina. Sic enim Graece loquebatur, ut Athenis natus videretur: tanta autem suavitas erat sermonis Latini, ut appareret in eo nativum quendam leporem esse, non ascitum (“acquisito”).

Idem poemata pronuntiabat et Graece et Latine sic, ut supra nihil posset addi (“non poter desiderare di meglio”). Quibus rebus factum est ut Sulla nusquam eum ab se dimitteret cuperetque secum deducere. Qui, cum persuadere tentaret: “Noli, oro te – inquit Pomponius – adversum eos me velle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui”. At Sulla, adolescentis officio (“delicatezza”) collaudato, omnia munera ei, quae Athenis acceperat proficiscens iussit deferri. (Cornelio Nepote)

#### *VERSIONE 7 La nascita della repubblica romana*

Hinc (“Dopo questi eventi”) consules coeperunt, pro uno rege duo, hac causa creati, ut, si unus malus esse voluisset (“avesse voluto”), alter, habens potestatem similem, eum coere ret (“frenasse”). Et placuit ne imperium longius quam annum haberent, ne per diuturnitatem potestatis insolentiores redderentur, sed civiles (“affabili”) semper essent, qui se post annum scirent futuros esse privatos. Fuerunt igitur anno primo ab expulsis regibus consules L. Iunius Brutus, qui maxime egerat, ut Tarquinius pelleretur, et Tarquinius Collatinus, maritus Lucretiae. Sed Tarquinio Collatino statim sublata est dignitas. Placuerat enim ne quisquam in urbe remane ret, qui Tarquinius vocaretur. Ergo, accepto omni patrimonio suo, ex urbe migravit, et loco ipsius factus est L. Valerius Publicola consul. Commovit tamen bellum urbi Romae rex Tarquinius, qui fuerat expulsus, et, collectis multis gentibus, ut in regnum posset restitui, dimicavit. (da Eutropio)

#### *VERSIONE 8 La vittoria e il trionfo di Emilio Paolo*

Cum Perseo, Macedoniae rege, Aemilius Paulus consul III Nonas Septembres dimicavit vicitque eum, viginti milibus peditum eius occisis. Equitatus cum rege integer fugit. Romanorum centum milites amissi sunt. Urbes Macedoniae omnes, quas rex tenuerat, Romanis se dediderunt; ipse rex, cum desereretur ab amicis, venit in Pauli potestatem. Sed honorem ei Aemilius Paulus consul non quasi victo habuit. Nam et volentem ad pedes sibi cadere non permisit et iuxta se in sella conlocavit. Itaque in conventu infinitorum populorum Paulus legationes multarum gentium, quae ad eum venerant, magnificentissime convivio

pavit, dicens eiusdem hominis esse debere et bello vincere et in convivii apparatu elegantem esse. Mox septuaginta civitates Epiri, quae rebellabant, cepit, praedam militibus distribuit. Romam ingenti pompa rediit in navi Persei, quae inusitatae magnitudinis fuisse traditur, adeo ut sedecim ordines dicatur habuisse remorum. Triumphavit autem magnificentissime in curru aureo cum duobus filiis utroque latere adstantibus. Ducti sunt ante currum duo regis filii et ipse Perseus, XLV annos natus. Ad hoc spectaculum reges multarum gentium Romam venerunt, inter alios venit etiam Attalus atque Eumenes, Asiae reges, et Prusias Bithyniae. Magno honore excepti sunt et permittente senatu dona, quae attulerant, in Capitolio posuerunt. (da Eutropio)

#### *VERSIONE 9 L'onestà di Aristide*

Ante id tempus et mari et terra duces erant Lacedaemonii. Tum autem iustitia<sup>7</sup> Aristidis factum est, ut omnes fere civitates Graeciae ad Atheniensium societatem se applicarent et adversus barbaros hos duces deligerent sibi. Quo facilius barbaros repellerent, si forte bellum renovare conarentur, ad classes aedificandas et ad exercitus comparandos, Aristides delectus est qui constitueret, quantum pecuniae quaeque civitas daret; eius arbitrio quadringena et sexagena talenta quotannis Delum sunt collata. Id enim commune aerarium esse voluerunt. Quae omnis pecunia postero tempore Athenas translata est. Aristides qua<sup>7</sup> fuerit abstinentia<sup>7</sup>, est certum indicium quod, cum (“sebbene”) tantis rebus praefuisset, in tanta paupertate decessit, ut vix reliquerit qui efferretur (“il necessario per la propria sepoltura”). Quo (“Per questo”) factum est ut filiae eius publice alerentur et de communi aerario dotibus datis collocarentur (colloco, “dare in matrimonio”). (da Cornelio Nepote)

#### *VERSIONE 10 Il ritorno di Conone ad Atene dopo la vittoria*

Conon cum parte navium in patriam venit, muros dirutos a Lysandro utrosque, et Piraei et Athenarum, reficiendos curat pecuniaeque quinquaginta talenta, quae a Pharnabazo acceperat, civibus suis donat. Accidit huic, quod ceteris mortalibus accidit, ut inconsideratior in secunda<sup>7</sup> quam in adversa<sup>7</sup> esset fortuna<sup>7</sup>. Nam, classe Peloponnesiorum devicta, cum se ultum esse iniurias patriae putaret, plura concupivit, quam efficere potuit. Nam, cum magnam auctoritatem sibi pugna illa navali, quam apud Cnidum fecerat, constituisset (“consolidare”), non solum inter barbaros, sed etiam omnes Graeciae civitates, clam dare operam coepit, ut Ioniam et Aeoliam restitueret Atheniensibus. Id cum minus diligenter (“con poca cura”) esset celatum, Tiribazus, qui Sardibus praeerat, Cononem evocavit, simulans ad regem eum se mittere velle magna de re. Huius nuntio parens cum venisset, in vincla coniectus est; in quibus aliquamdiu fuit. Inde nonnulli eum ad regem abductum ibique eum perisse scriptum reliquerunt. Contra ea, Dinon historicus, cui nos plurimum de Persicis rebus credimus, eum effugisse scripsit, sed illud addubitat, utrum Tiribazo sciente an imprudente sit factum. (da Cornelio Nepote)

#### *VERSIONE 11 Tebe è occupata dagli Spartani*

Phoebidas Lacedaemonius cum exercitum Olynthum duceret iterque per Thebas faceret, arcem oppidi, quae Cadmea nominatur, occupavit impulsu paucorum Thebanorum, qui Laconum rebus studebant (“seguivano una politica favorevole a Sparta”), quo facilius adversariae factioni resisterent; id Phoebidas suo privato, non publico (“del suo governo”) consilio fecit. Quo facto eum Lacedaemonii ab exercitu removerunt pecuniaque multarunt (= multaverunt), neque eo magis arcem Thebanis reddiderunt, quod, susceptis inimicitiiis, satius ducebant eos obsideri quam liberari. Nam, post Peloponnesium bellum Athenasque devictas,

cum Thebanis sibi rem (“conflitto”) esse existimabant et eos esse solos, qui adversus resistere auderent. Hac mente, amicis (“sostenitori”, in Tebe) suis summas potestates dederant alteriusque factionis principes partim interfecerant, alios in exilium eiecerant.  
(da Cornelio Nepote)

#### *VERSIONE 12 Orazio Coclite*

Etruscis in urbem ponte Sublicio inrumpentibus, Horatius Cocles extremam eius partem occupavit totumque hostium agmen, donec post tergum suum pons abrumperetur, infatigabili pugna sustinuit; postea, ut patriam periculo imminente liberatam vidit, armatus se in Tiberim misit. Cuius fortitudinem dii immortales admirati, incolumitatem sinceram (“completa”) ei praestiterunt: nam neque altitudine deiectus (“per essersi gettato dall’alto”) quassatus, nec pondere armorum pressus, nec ullo vorticis circuitu (“gorgo, vortice della corrente”) actus, ne telis quidem, quae undique congerebantur, laesus tutum natandi eventum habuit. Unus itaque tot civium, tot hostium in se oculos convertit, unusque duos acerrima pugna consertos exercitus, alterum repellendo, alterum propugnando distraxit. Denique unus urbi nostrae tantum scuto suo quantum Tiberis alveo munimenti attulit. Quapropter Etrusci, discedentes, dicere potuerunt: “Romanos vicimus”, ab Horatio victi sumus. (da Valerio Massimo)

#### *VERSIONE 13 La conclusione di una controversia*

Erant in ea legione fortissimi viri, centuriones, qui primis ordinibus appropinquarent (“erano vicini alla promozione al grado più elevato”) T. Pullo et L. Vorenius. Hi perpetuas inter se controversias habebant, quinam anteferretur, omnibusque annis de locis (“per la promozione”) contendebant. Ex his Pullo, cum acerrime ad munitiones (“presso le fortificazioni”) pugnaretur: “Quid dubitas, inquit, Vorenius? aut quem locum (“momento”) tuae probandae virtutis exspectas? Hic dies de nostris controversiis iudicabit”. Haec cum dixisset, procedit extra munitiones, quaeque pars hostium confertissima est visa, in eam irrumpit. Ne Vorenius quidem sese tum in vallo continet, sed omnium veritus existimationem subsequitur. Mediocri spatio relicto, Pullo pilum in hostes immittit atque unum Gallum ex multitudine procurrentem traicit; quo percusso et exanimato, hunc scutis protegunt Galli, in Pullonem tela universi coniciunt neque dant regrediendi facultatem. Transfigitur scutum Pullioni et verum in balteo defigitur: eum impeditum hostes circumstant. Succurrit inimicus illi Vorenius et laboranti subvenit. Ad hunc confestim omnis multitudo barbarorum se convertit: nam Pullonem verumto arbitratur occisum esse. Gladio cominus rem gerit (rem gerere “combattere”) Vorenius atque, uno interfecto, reliquos paulum propellit; dum cupidius instat, in locum inferiorem (“in una cunetta”) deiectus (“scivolato”) concidit. Huic rursus circumvento fert subsidium Pullo, atque ambo incolumes, compluribus interfectis, summa cum laude sese intra munitiones recipiunt. Sic fortuna in contentione et certamine utrumque versavit (“trattò”) ut alter alteri inimicus auxilio salutique esset, neque diiudicari posset, uter utri virtute anteferendus videretur. (da Cesare)

#### *VERSIONE 14 I Belgi stringono alleanze tra loro*

Cum esset Caesar in citeriore Gallia, ita uti supra demonstravimus, crebri ad eum rumores adferebantur litterisque item Labieni certior fiebat omnes Belgas, quam tertiam esse Galliae partem dixeramus, contra populum Romanum coniurare obsidesque inter se dare. Coniurandi has esse causas: primum quod (“il fatto che”) vererentur (congiuntivo obliquo, che riporta opinioni altri) ne, omni pacata Gallia, ad eos (“contro di loro”, contro il loro paese) exercitus noster adduceretur; deinde quod ab non nullis Gallis sollicitarentur, partim qui (“una parte

dei quali”), ut Germanos diutius in Gallia versari (“risiedere”) noluerant, ita populi Romani exercitum hiemare atque inveterascere (“abituarsi”) in Gallia moleste ferebant, partim qui mobilitate et levitate animi novis imperiis studebant (“aspiravano a rivolgimenti politici”); ab non nullis etiam quod in Gallia a potentioribus atque iis, qui ad conducendos homines facultates habebant, regna (“i ruoli di comando”) vulgo occupabantur; qui minus facile eam rem imperio nostro consequi poterant. (da Cesare)

#### *VERSIONE 15 Cesare muove contro i Belgi*

His nuntiis litterisque commotus, Caesar duas legiones in citeriore Gallia novas conscripsit et, in ita aestate, Q. Pedium legatum misit qui in ulteriorem Galliam deduceret. Ipse, cum primum pabuli copia esse inciperet, ad exercitum venit. Dat negotium (“incarico”) Senonibus reliquisque Gallis qui finitimi Belgis erant ut ea, quae apud eos gerantur, cognoscant seque de his rebus certiores faciant. Hi constanter omnes nuntiaverunt manus cogi (“che si radunavano truppe”), exercitum in unum locum conduci. Tum vero dubitandum non existimavit quin ad eos proficisceretur. Re frumentaria provisa castra movet diebusque circiter XV ad fines Belgarum pervenit. (da Cesare)

#### *VERSIONE 16 Che cosa rende fertili i campi*

Caius Furius Cresimus, ex servitute liberatus, cum in parvo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quam ex amplissimis vicinis (“i vicini”), invidia erat magna, quasi fruges alienas perlicere veneficiis. Quamobrem, ab Spurio Albino curuli aedile die dicta (per il processo), metuens damnationem, instrumentum rusticum omne in forum attulit et adduxit familiam suam validam atque bene curatam ac vestitam, ferramenta egregie facta, graves ligones, vomeres ponderosos, boves saturos. Postea dixit: “Veneficia mea, Quirites, haec sunt, nec possum vobis ostendere aut in forum adducere lucubrationes meas vigiliasque et sudores”. Omnium sententiis absolutus itaque est. Ideo maiores nostri fertilissimum in agro oculum domini esse dixerunt. (Plinio il Vecchio)

#### *VERSIONE 17 Con il coraggio si può sopportare il dolore*

Fit in proelio, ut ignavus miles ac timidus, simul ac viderit hostem, abiecto scuto fugiat, quantum possit, et ob eam causam pereat non numquam (“talvolta”) etiam integro corpore, cum (valore avversativo) ei qui steterit, nihil tale evenerit. Simili modo, fit ut, qui doloris speciem ferre non possunt, abiiciunt se atque ita adflicti et exanimati iacent; qui autem restiterunt, discedunt saepissime superiores. Sunt enim quaedam animi similitudines cum corpore. Ut onera, contentis (“tesi, in tensione”) corporibus, facilius feruntur, sed remissis (“rilassati, lasciati andare”, sott. corporibus) opprimunt, simillime animus, intentione sua (“se chiama a raccolta le sue forze”), depellit pressum omnem ponderum, remissione autem (“mentre se si lascia andare”) sic urgetur, ut se nequeat extollere. (da Cicerone)

#### *VERSIONE 18 Descrizione di un viaggio per mare*

Quid non potest persuaderi mihi, cui persuasum est ut navigarem? Solvi mari languido: erat sine dubio caelum grave sordidis nubibus, sed putavi tam pauca milia a Partenope usque Puteolos (“Pozzuoli”) surripi (“superare”) posse, quamvis dubio et imminente caelo. Itaque quo celerius evaderem, protinus per altum ad Nesida (“Nisida”) direxi, praecisurus omnes sinus. Sed statim aequalitas illa, quae me corruerat, periit: nondum erat tempestas, sed iam inclinatio maris ac subinde crebrior fluctus. Coepi gubernatorem rogare, ut me in aliquo litore

exponeret: aiebat ille aspera esse et importuosa, nec quicquam se, in tempestate, aequè timere quam terram. Peius autem vexabar, quam ut mihi periculum succurreret. Institi itaque gubernatori et illum coegi ut peteret litus. Cuius ut viciniam attigimus, memor artificii mei vetus frigidae cultor, mitto me in mare, quo modo psychrolutam (“colui che si bagna nell’acqua fredda”) decet, gausapatus (“vestito di panno grosso”). (da Seneca)